



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam  
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

68. Fer. 6. De scandalo Petri.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

MEDITATIO LXVIII.  
Feria 6. Dom. Sexages.  
*De Scandalo Petri.*

**A**spiciam animosissimum Petrum ter Domino contradicentem immaturo fervore. Petam exemplo Principis Apostolorum mihi non fidere.

*Conf. 1.* Dominum Petro contradicenti ter lapsum prædicentem. Ait illi **JESVS**: *Amen dico tibi, quia tu hodie in hac nocte ( non mediâ, sed sub Gallicinio auroræ ) prius quàm gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus. S.* Petrus amplius loquebatur. Hic etiam Petrus nescit, quid dicat, præire vult, & sequi non potest, qui postea timore mortis vitam ter negavit, & animam suam maculavit. Origenes hic. Petam ex duobus, quæ video in Petro, unum auferri: Præsumptionem: alterum addi, amorem: Cujus actus imperans sit sine mensura: Imperatus, quantum vult Deus, & non amplius: ut medicus non potest excedere in desiderio sanitatis, sed in medicina.

*Conf. 2.* Indicia tacitæ præsumptionis omnium periculossimæ, ( quia ab ea initium sumpsit omnis perditio, Tob. 4. ) esse: 1. Non recurrere ad Deum in rebus saltem difficilioribus. 2. Non Deum, sed propriam gloriam in rebus, quas quis facit, quærere, 3. Expo-

nerere

110 *Sabbato Dom. Sexages.*

nere se peccandi periculis. 4. In rebus sine  
stre cadentibus animo deijci, & contristari  
5. In actionibus nullo virtutis actu uti, unde  
facillimus est lapsus.

*Conf. 3. Verba Domini: Ioan. 17. Pater  
sancte, conserva eos in nomine tuo: D. Chrylost. in-  
terpretatur: in auxilio tuo, quod semper im-  
plorabo: quia stante diffidentia sui, repugnat  
lapsus, ut docet Aris noster, Trac. de hac  
virtute.*

MEDITATIO LXIX.

*Sabbato Dom. Sexages.*

*Septem gladij ignei Matris DEI.*

**V**idebo SS. Matris Dei cor sicut scutum  
septem gladijs fulmineis circum quaque  
penetratum. Petam assequi ejus dolores  
eique compati.

Aspiciam gladium 1 Offensam DEI: sicut  
enim in D. Virginis corde non erat major a-  
mor amore divino, sic in ejusdem corde non  
fuit major dolor, quam ex offensione divina:  
ego autem causa fui dolorum Filij, ergo &  
causa dolorum Matris.

2. Gladius. Passio Personæ Dei, non in  
Divinitate, sed in humanitate, quæ respectu  
Divinitatis fuit sicut pes respectu capitis:  
sicut igitur sentit caput, dum percutitur pes,  
non quod dolor sit in capite, sed in pede, sic